
Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

1, – 509



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

LN 918 B-trykket
M

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

THEMATA THEOLOGICA, QVÆ PVBLICE DIE

ſecundò Iunij defendent tres viri, pietate, eruditione, & grauitate morum præſtantes, Baccalaureatus gradu in Theologia decorandi.

M. Iohannes Thomas, Paſtor ad Diuam virginem.

M. Eraſmus Catholmius, Dialecticus Profeſſor.

D. Chriſtophorus Knoff, Concionator Regius.

PRÆSIDENTE NICOLAO Hemmingio, Doctore Theologiæ.

6952

Hafniæ,
EXCVSA PER LAVRENtium Benedictum.
1572.

d.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

I.

CVM PIETAS POſtulat, vt de DEO quæramus ex ipſius verbo, de Deo loquamur per eius verbum, de DEO cogitemus cum eius verbo: talis omninò credendus eſt Deus, qualis in verbo Dei nobis proponitur.

2.

DEVS enim (vt piè loquitur Cyprianus) videri non poteſt, viſu clarior: nec comprehendi, tactu purior: nec æſtimari, ſenſu maior: ideò ſic Deum dignè æſtimabimus, dùm inæſtimabilem dicimus.

3.

Cum igitur ſcriptura clarè & diſertè dicit, Audi Iſraël, Iehouah Deus noſter, Iehouah vnus eſt: animus pius firmiſſimè ſtatuet, vnum tantùm eſſe ſubſtantiæ & naturæ ſimplicitate verum & æter-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

æternum Deum, à quo & omnia condita ſunt, conſiſtunt, & ipſius gloriæ deſtinantur. Eſt enim Deus & ἄιτιος & ἀρχὴ & μεσότης & τέλος omnium rerum à ſe conditarum.

4.

Cum rurſus eadem ſcriptura patrem æternum à filio æterno diſtinguit, et Spiritum ſanctum alium eſſe à patre & filio prædicat, & tamen patrem Deum, ſimiliter & filium Deum, & Spiritum ſanctum Deum eſſe fatetur: Pius verbo Dei credens, confitebitur patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spiritum ſanctum eſſe Deum, attamen non diſcedet à fide, qua ſtatuet vnum ſolum Deum eſſe.

5.

Cum ergò vnum Deum audis, vnam naturam diuinam intellige: Cum audis Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum,

Spiritum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Spiritum ſanctum eſſe Deum, tres perſonas in vna infinita & ſimpliciſsima natura ſubſiſtentes adora.

6.

Nam tametſi tres ſunt iuxtà verbum, non ſeparatæ quidem à ſe inuicem, ſed ſuis proprietatibus & numero diſtinctæ perſonæ: tamen ex eo non ſequitur tres eſſe Deos. Sunt enim hæ tres ſingulæ perſonæ vnus & idem perfectus Deus, quia in qualibet perſona non eſt aliqua pars diuinæ eſſentiæ, ſed tota eſſentia eaq; inſecabilis. Fieri enim non poteſt, vt infinitas ſimpliciſsima admittat ſectionem ſeu partitionem.

7.

Cum igitur Deus ſit ſummè ſimplex & immutabilis, & cum ſit vbiq;, non ſecundum partes, nec ſucceſsiuè, ſed totus cum ſuæ veritatis vnitate ſimul & ſemel in diuerſis locis, diuinitas (etſi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

vna tantùm numero exiſtat) tota ſimul in pluribus poteſt eſſe perſonis.

8.

Proindè eſſentia diuina infinita, etſi ſit vna numero, tribus tamen perſonis communis eſt, quæ non ſeparantur vna ab alia, ſed ſe mutuò continent, κατὰ περιχώρησιν, *vt loquitur Damaſcenus.*

9.

Diſtinguuntur autem hæ tres perſonæ ὁμοούσιοι, *proprietatibus & numero, hoc modo. Pater eſt prima perſona, gignens ab æterno æternum Filium. Filius eſt ſecunda perſona, genita ab æterno à patre æterno. Spiritus ſanctus eſt tertia perſona, procedens à patre & filio ab omni æternitate. Deindè pater mittit filium, & Spiritum ſanctum. Filius mittitur à patre, & fit homo. Spiritus ſanctus mittitur à patre et filio, vt nos regeneret.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

10.

Hanc Catholicam fidem vnius Dei & trium perſonarum ſubſiſtentium in vna infinita & ſimpliciſſima diuina natura, extructam ex verbo Dei infallibili, opponamus hæreticis omnium temporum, qui ſenſuum rationis ſuæ menſura myſterium hoc metiri voluerunt, & execremur Arrianos & Seruetianos, qui plures numero Deos nugantur, ſiuè ὁμοιουσίους, ſiuè ἑτερουσίους, contrà verbum Dei.

11.

Porrò cum primi homines, conditi ad imaginem Dei, ſua libera voluntate lapſi eſſent, & facti obnoxij æternis pœnis, propter ſuam tranſgreſſionem: edita eſt promiſſio reparationis per ſemen mulieris, vt, videlicet, homines erigerentur per vnum hominem, quemadmodùm per vnum hominem ceciderunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

12.

Iuſticia enim in Deo hoc requirebat, vt quemadmodum vnus homo reliquos in peccati cœnum & mortem æternam peccati pœnam iuſtiſsimam coniecißet: ita vnus homo ſatisfaceret pro reliquis, eosq́ in vitam ſoluto λύτρῳ reuocaret.

13.

Verùm quoniam infirmitas omnium hominum, imò omnium creaturarum, tanta fuit, vt nec bonum ablatum reſtituere, nec malum illatum auferre poſſet: placuit ſapientiæ Dei filium mittere, idq́ ex mera in ſuam creaturam miſericordia, vt is homo factus, iuſticiæ Dei ſatisfaceret, & hominem potenter ereptum à peccato, morte, Diabolo, inferno, donaret æterna vita & beatitudine.

14.

Niſi enim Mediator Homo fuiſſet, non debuiſſet ſuſtinere perſonam aliorum homi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

hominum: ſi non fuiſſet Deus, ſaluare ſeipſum, nedùm alios, nequaquàm potuiſſet.

15.

Videmus ergò in myſterio redemptionis noſtræ, mutuis auxilijs ſtare quatuor virtutes ſummis gradibus perfectas, videlicet, ſummam iuſticiam, ſummam miſericordiam, ſummam ſapientiam & ſummam potentiam, quarum ſi vna vel tantillum defecerit, Dei maieſtas periclitaretur. Propter has virtutes Deus ab Angelis & hominibus in omnem æternitatem celebrabitur, quemadmodùm nato iam Chriſto ſignificauit turba Angelica, cum caneret, Gloria in excelſis Deo, &c.

16.

Hic Mediator vnius Dei & hominum, Ieſus Mariæ virginis filius, perfectus Deus vera diuinitate, perfectus homo vera humanitate, vna perſona in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

duabus naturis ſubſiſtens, quæ naturæ etſi vnitæ ſunt in vnionem perſonæ, tamen diſtinctæ manent, & inconfuſæ in omnem æternitatem. Quarè & retinent ſua idiomata diſtincta & inconfuſa, quæ promiſcuè de perſona prædicantur propter perſonæ vnitatem.

17.

Porrò vt beneficium Mediatoris innoteſceret mundo, & meritum ipſius applicaretur hominibus, ordinatum eſt diuinitus miniſterium verbi & Sacramentorum in Eccleſia, vt homines verbo Euangelij vocentur ad agnitionem Chriſti, & Sacramentis de ipſius beneficijs ſibi applicatis confirmentur.

18.

Verùm quia magnitudo meritorum Mediatoris non agnoſcitur, niſi prius intelligatur, quanta mali illius moles ſit, qua homines premuntur non liberati per Chri-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Chriſtum: duo doctrinæ genera in Eccleſia proponuntur, videlicet, Lex & Euangelium, cui Sacramenta veluti ancillantur & ſeruiunt.

19.

Lex eſt doctrina diuina, requirens puram, perpetuam, perfectam & ſpiritualem obedientiam, ab omni homine, & damnans omnem hominem, qui hanc obedientiam non habet.

20.

Cum autem ad huius Legis normam examinentur conſcientiæ hominum, omnes coguntur agnoſcere ſe reos & damnatos, quia nemo à ſeipſo hanc obedientiam habere poteſt.

21.

Cum in hunc modum hominis conſcientia examinatur ad normam Legis, plurimæ quæſtiones naſcuntur, videlicet, de peccato, de viribus humanis, de

vſu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

vſu legis, cur data ſit lex, cum ab homine præſtari non poßit, de legis abrogatione.

22.

Peccatum ſimplicißimè definitur à Iohanne eſſe ἀνομία, *id eſt, quicquid vel eſt in nobis, vel fit à nobis, non congruens ad normam legis. Quod in duo genera diſtinguitur, videlicet, originale & actuale. Hoc voluntarium aut inuoluntarium: Item, infirmitatis & malitiæ: Item, veniale & mortale. Hoc rurſus ſimpliciter tale, & blaſphemia in Spiritum ſanctum, quæ eſt irremißibilis.*

23.

Cum quæritur de viribus humanis, quatuor ſtatus hominum cogitandi ſunt. Primus ante lapſum, Secundus ſub peccato, Tertius ſub gratia, Quartus vel in gloria, vel in ignominia.

Ante

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

24.

Antè lapſum primorum parentum, vires hominis fuêre integræ, hoc eſt, iudicium erat ſanum, voluntas promta, & facultas erat præſtandi imperata: Adeò quod Adam, ſi perſtitiſſet in integritate ſua, potuiſſet cum ſua poſteritate Deo iuxtà legem perfectam præſtare obedientiam. Erat enim in Adam τὸ λογιστικὸν *rectum, quo quod optimum eſt in ordine bonorum quærere & inuenire, erat in eo* τὸ ἐπιθυμητικὸν, *quo in optimo acquieſcere, erat in eo* τὸ θυμοειδές, *quo ſe opponere malo, hoc eſt, diabolo & vitijs potuit. Verùm quoniam* τὸ ἐπιθυμητικὸν, *in quo eſt voluntas, fuit in Adam liberrimum, potuit animum ad vtrumq;, hoc eſt, bonum & malum flectere, quemadmodum triſtiſſimus euentus comprobat.*

25.

Sub ſtatu peccati, etſi manent facul-

tates

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

tates animæ, quo ad ſubſtantiam atti-net, tamen tanta corruptio, caligo & ἀταξία ſecuta eſt lapſum primorum paren-tum, vt in rebus ſpectantibus ad cultum diuinum, & ſalutem noſtram, nec iudici-um rectum ſit, nec voluntas libera, nec facultas præſtandi expedita.

26.

Omnes enim homines à natiuitate immundi & rei naturæ vitio, quemad-modum ſcriptura clariſsimè, & experien-tia apertiſsimè teſtantur: Rom: 1. 2. 3. vt alia teſtimonia infinita prætercam.

27.

Sub ſtatu gratiæ, τὸ λογιστικὸν regi-tur verbo Dei, τὸ ἐπιθυμητικὸν cedit ſpiri-tui ſancto, τὸ θυμοειδὲς iraſcitur ſpiritui maligno, aduerſatur vitijs, conatur par-tam tueri & retinere gratiam. Atq; hinc eſt, quod tametſi regenerati legem præ-

ſtare

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

ſtare non poſſunt, faciunt tamen multa, quæ Deo grata & accepta ſunt.

28.

In ſtatu gloriæ, perfectè regenerati animabus & corporibus ſimul recuperabimus vires perfectas, puras & alacres, quibus in omnem æternitatem Deo perfectam præſtabimus obedientiam, Chriſto conformes. In ſtatu ignominiæ, qui erit damnatorum, nihil erit præter luctum & cruciatum ſempiternum.

29.

Iam ad vſum Legis veniamus, qui eſt triplex, videlicet, externus, internus, & ſpiritualis, qui hoc pacto diſcernuntur.

30.

Externus vſus legis eſt, qui in hac vitæ ſocietate ad externum hominem pertinet. Regit enim Lex mores externa diſciplina, vt homines tranquillè viuere, & ad virtutem aſſuefieri poſſint.

Inter-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Internus vſus legis ad internum hominem, ſeu, ad conſcientiam hominis pertinet. Siſtit enim lex hominem coram tribunali Dei, accuſat transgreſsionis, proponit iudicium Dei, inculcat ſententiam iudicis Dei in peccatores, idq́ in eum finem, vt homo agnito morbo quærat medicum, ratione debiti ſubducta expetat gratiam, monſtrata ira DEI imploret eiuſdem miſericordiam. Breuiter, vt peccati ſenſu confugiat ad propitiatorem Ieſum Chriſtum.

32.

Hic vſus Legis operatur in corde hominis μεταμέλειαν *Matth:* 21. *quæ nunc contritio, nunc compunctio, nunc pœnitentia, nunc dolor ſecundùm Deum dicitur. His enim verbis ſcriptura vtitur. Hanc contritionem ideò faciunt primam pœnitentiæ partem, quia proximè præce-*

dit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

dit, tanquàm παρασκευὴ, *ſalutarem conuerſionem, quam ſcriptura* μετάνοιαν *nominat.*

33.

Spiritualis vſus Legis pertinet ad hominem ſpiritualem, hoc eſt, ad hominem fide iuſtificatum, & renatum per Spiritum ſanctum. Huic enim Lex Dei certam viuendi normam præſcribit, eumq́ veram colendi Deum rationem docet.

34.

Nemo enim cultum Dei verum & ſpiritualem inchoare poteſt, niſi qui credat. Non enim ſatis eſt materiam cultus tenere, ſed cauſa efficiens, forma, finis requiruntur, quæ ſine Euangelio nec intelliguntur, nec adeſſe poßunt.

35.

Tametſi autem ne renati quidem poſſunt præſtare legem, tamen eorum obedi-

entia placet, quia perſonæ placent, vt quæ non ſint amplius ſub lege, ſed ſub gratia. Nam legem perfectè implere, poſt hominis lapſum, in hac vita ſolus Chriſtus potuit & fecit.

36.

Iam verò, ſi ea diligenter expendantur, quæ diximus, facilis erit reſponſio ad quæſtionem, qua quæritur, cur Lex, cum ab homine præſtari non poßit, data ſit. Et poßunt quatuor cauſæ, ex ijs quæ modò diximus, aßignari. Prima, Iuſticia. Eſt enim iuſtum, exigere quod iure debetur, etiamſi non eſt ſoluendo, qui debet. Nunc autem homo debet iure Deo obedientiam perfectam, qualem præſtare potuiſſet, ſi in ſua integritate perſtitißet, & non ſuo ſe vitio ſpoliaſſet præſtandi facultate. Secunda, Miſericordia. Dedit enim Deus legem, quam homo in hac vita præſtare non poteſt. Vt cum videat homo, ſe debitum

tum ſuum ſoluere non poſſe, confugiat ad miſericordiam, quemadmodùm debitor ille fecit, Matth. 18. Tertia, Pædagogia, vt pij habeant, quo quotidiè contendant, ne quaſi impleta lege Dei quærant cum hyporcitis ἐθελοθρησκείας, & ſuperſtitiones varias, atq; ita paulatim neglecta lege Dei, pendeant ex humanis decretis. Ideò DEVS iubet, vt in præceptis ſuis ambulemus, & non in præceptis patrum noſtrorum. Quarta, Aſpiratio ad æternam vitam. Nam cum pij vident, ſe non poſſe præſtare legi DEI perfectam obedientiam in hac vita, monentur propria infirmitate, vt aſpirent ad patriam, in qua erimus verè perfectj. Huius rei monemur etiam cum precamur. Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, ita etiam in terra.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

37.

Poterit quoq; ex dictis ſolui quæſtio de abrogatione Legis (Decalogum intelligo) videlicet, quòd nunquàm abrogetur, quantùm ad doctrinam eius attinet. Sed ſolùmmodo quantùm ad ius, idq; reſpectu credentium tantùm. Hos enim accuſandi & damnandi ius non habet, quia ſunt in Chriſto Ieſu, qui eſt finis Legis, in iuſtitiam omni credenti. Roma: 10.

38.

Euangelium eſt vniuerſalis prædicatio conuerſionis (quæ in Euangeliſtarum & Apoſtolorum Scriptis μετάνοια *dicitur) & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti. Ita enim ipſe Chriſtus ait: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius* μετάνοιαν, *& remiſſionem peccatorum omnibus gentibus.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

39.

Tria ergò facit Euangelium. Primùm monſtrat Chriſtum, eiusq́ beneficium docet eſse remiſsionem peccatorum, cum qua coniuncta eſt iuſticia, reconciliatio & acceptatio ad vitam æternam, gratis propter Chriſtum. Secundò, oſtendit applicationis beneficij Chriſti modum, videlicet, quòd hæc remiſsio peccatorum (cum ijs quæ cum ea coniuncta ſunt) offeratur, & conferatur per prædicationem Euangelij, ijs qui conuertuntur, hoc eſt, qui credunt promiſsioni Euangelij. Tertiò, Euangelium prædicat gratiam Chriſti vniuerſalem eſse, vt à qua nullus excludatur, modò credere Euangelio non recuſet.

40.

Conuerſio autem, quam requirit Euangelium, fit per fidem prædicati Euangelij, quæ fides rectè definitur eſſe firma

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

noticia & fiducia promiſſæ miſericordiæ in Chriſto. Vt hanc conuerſionem neceſſariò præcedit contritio, ita eam neceſſariò ſequitur noua obedientia. Ex quo factum eſt, quòd Philippus Melanthon, ſanctiſſima memoria apud omnem poſteritatem digniſſimus, numerat tres pœnitentiæ, hoc eſt, conuerſionis partes, videlicet, contritionem, quæ eſt pars antecedens: Fidem quæ eſt pars formalis: Nouam obedientiam, quæ eſt pars conſequens: & rectè partes dicuntur reſpectu finis cui deſtinantur, nimirum vt Chriſto inſeramur & in Chriſto maneamus, & tandem per ipſum ſalutem conſequamur.

41.

Summam & finem bonorum ex merito Chriſtj cum eiuſdem applicatione, complectitur ipſe Chriſtus, hoc breui aphoriſmo. Quiſquis crediderit, ſaluus erit.

Et

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

42.

Et ne quis aliundè ſalutem expectet, addit hanc Antitheſin. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quæ Antitheſis duo peccatorum genera arguit. Vnum, eorum qui contemnunt medicum Chriſtum cum ſuo remedio. Qui enim non credit in Filium, ſuper eum manet ira Dej. Et quia medicum & ſaluatorem contemnunt, contemnunt etiam eum qui medicum miſit, hoc eſt, patrem, cuius contemptus gratia, Spiritus ſanctus cui noluerunt in prædicatione Euangelij credere, arguit mundum de peccato, quòd non crediderunt in filium. Alterum, omnium poſterorum Adam, propter contumaciam aduerſus Deum, cui obtemperare debuiſſent.

43.

Additur ergo hæc Antitheſis eo

conſilio, vt ſciamus non patere viam ſalutis vllis hominibus per alia quæuis media, niſi per fidem Chriſti.

44.

Refutat præterea hoc dictum eorum errorem, qui ſomniant, quemlibet hominem ſua lege ſaluari, modò iuxtà eam inculpatè coràm hominibus uixerit, hoc eſt, Iudæum lege Moſis: Chriſtianos lege Chriſti: Lacedæmonios lege Lycurgi: Romanos lege Numæ: Turcas lege Mahometis ſaluari, & ſic de alijs. Quem errorem hæc Domini comminatio clariſſimè refellit.

45.

Proindè, hæc vox, qui non crediderit, condemnabitur, non ſolùm contemptus Euangelij comminatio eſt: verùm etiam ſententia legis eſt, primùm latæ in Paradiſo, poſteà in monte Sina repetitæ, quam conſcientia peccatoris confirmat,

&

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

& calamitates humanæ comprobant, quam in extremo die iuſtus iudex Ieſus Chriſtus pronunciabit. Sub hac enim ſententia damnatoria, omnes qui non ſunt participes noui pacti de gratia & miſericordia Dei in Chriſto, condemnati tenentur, propterea quòd & ſint ſub lege, & remedium gratuitum repudiârunt.

46.

Cæterùm, quia magna eſt infirmitas fidei in ſanctis, filius Dei commendat ſuæ Eccleſiæ, duo ſigna gratiæ, videlicet, Baptiſmum & Cœnam Domini, quæ in Eccleſia Sacramenta dicuntur. Teſtantur enim hæc ſigna gratiæ, de fauore Dei ergà eos, qui illis ritè vtuntur.

47.

In his Sacramentis ſeu ſignis gratiæ, concurrunt, verbum, res promiſſa, ſignum externum, & fides, ſine qua Sacramenta cedunt vtentibus in iudicium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

48.

Hæc omnia complectitur Auguſtinus, cum ait: Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Verbum intelligit Dej inſtituentis, promittentis & requirentis fidem promiſsionis. Et Elementum, id eſt, externum ſignum gratiæ, in ſenſus incurrens, quo mentem excitet, & gratiam in corde vtentis obſignet, quo fides robuſtior fiat.

49.

Baptiſmus, primum ſignum gratiæ in nouo Teſtamento, eſt Sacramentum quo Deus teſtatur ſe pœnitentibus, id eſt, conuertentibus ſe per fidem, remittere peccata. Quemadmodum ex verbis Marcj promtum eſt intelligere, qui ait: Fuit in deſerto Iohannes baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, hoc eſt, docebat bap-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

tiſmum eſſe teſtimonium & obſignaculum Dej, quòd remittat pœnitentibus peccata.

50.

Analogia ſigni ad rem ſignatam hæc eſt. Vt aqua abluitur corpus ab externis ſordibus, ita conſcientia hominis ſanguine Chriſtj purgatur à mortuis operibus: & vt aqua eſt cauſa generationis in natura, ita Spiritus Sanctus eſt per quem regeneramur & naſcimur nouj homines. Ita aqua baptiſmi habet comparationem & ad ſanguinem Chriſtj, & ad Spiritum regenerationis.

51.

Cœna Domini, alterum ſignum gratiæ in nouo teſtamento, eſt Sacramentum corporis Chriſti traditi pro nobis, & ſanguinis eiuſdem effuſi pro multis in remiſſionē peccatorum, ab ipſo Chriſto iam

mo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

morituro pro peccatis noſtris, inſtitutum & commendatum Eccleſiæ, vt ſit perpetua recordatio Chriſti tradentis ſuum corpus & effundentis ſuum ſanguinem pro nobis, vt ſit obſignatio noui fœderis de gratia & remiſſione peccatorum propter merita Chriſti, vtq́ ſit teſtimonium copulationis noſtræ, cum capite noſtro Chriſto, cuius corpore & ſanguine verè in Cœna paſcimur.

52.

Quid, quæſo, dulcius cogitari poteſt, quàm hanc Cœnam eſſe teſtimonium Dei, quòd fidelis anima firmiſſimo fœdere iungatur capiti ſuo Chriſto, quòd verè paſcatur pane vitæ, qui eſt Ieſus Chriſtus, quòd Deus remittat omnibus credentibus peccata, & eos recipiat in gratiam propter merita Chriſti.

53.

Hanc dulciſſimam conſolationem ne

ſina-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

ſinamus obrui inanibus ſpeculationibus, & futilibus diſputationibus de præſentiæ modo. Satis enim eſt nobis, tenere firmam & immotam eſſe promiſsionem Chriſti, qua promittit ſuum corpus & ſanguinem, etiamſi præſentiæ modum non poſsumus menſura noſtrorum ſenſuum capere. Sciamus Sacramenta Eccleſiæ ideò myſteria dici, quòd non ſint ſubiecta phyſicis demonſtrationibus. Facilius longè eſt, digito profunditatem maris & altitudinem cœli menſurare, quàm myſteria Dei rationis argutijs comprehendere.

54.

Pòſt doctrinam & Sacramenta ſequuntur externa diſciplina & ceremoniæ. Diſciplina concluditur ex Decalogo, & ex poteſtate clauium. Ceremoniæ ſunt liberiores, modò caueatur, ne ſint ἄσημοι, *aut obtrudantur pro cultu.*

Hoc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

55.

Hoc fundamento ſaluo, piorum iudicamus eſse, non moroſè litigare pro humanis Ceremonijs. Nam diuerſitas ceremoniarum in diuerſis nationibus Chriſtianæ libertatis teſtimonium eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Themata hec sunt
empta duobus solidis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)

Eget BB 1990

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 918 8° (B-trykket)